Dr. J. S. Down

3

3

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHTHISI PULMONALI;
QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID LAMB,
Scotus.
CHIRURGUS.

Parum certe medici profecerunt hactenus, et parum, ni fallor, profecturi sunt in posterum, qui, nulla adhibita ratiocinatione, sola experientia semet occupaverint.
Gregorii Conspect.

Die 1mo *Augusti horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:
EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.

MDCCCXV.

GEORGIO LAMB,

ARMIGERO,

CHIRURGO CIVILI

DACCÆ

IN

PROVINCIA BENGALIÆ,

IN FRATRES ANIMI PATERNI

NOTO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

GRATI ANIMI ET AMORIS

PIGNUS EXIGUUM,

SUMMA CUM VOLUNTATE

CONSECRAT

FRATER

MINIMUS NATU.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHTHISI PULMONALI.

DAVIDE LAMB, AUCTORE.

PROŒMIUM.

Phthisis pulmonalis attentionem omnium medicorum, præcipue juniorum, sive ad ejus frequentiam sive ad eventum spectamus, summo jure sibi vindicat. Morborum enim omnium nullus, ut nobis videtur, aut tot aut tanta medicorum ingenia iis, quæ, ad ejus curationem et naturam pertinent, excitavit, et parum commodi inde recepit. Ars tamen medicinalis minime perfecta est; scientiam

igitur nostram persequi, excolere, causasque et naturam hujus morbi scrutari, oportet. Itaque, quanquam medicina adhuc ei parum profuerit, conatibus nostris non desistendum, sed contra, cum omnibus nostris viribus nitendum est ad res detegendas, quæ non solum allevationi, verum etiam curationi meliori utiles sint. Nam speramus, ut Dr Home quem sat est nominasse, modestia solita in prælectionibus suis anticipat, "that "medicine will one day be certain in its "practice, and certain in its utility to man-"kind."

Vitiorum, quibus genus humanum opportunum est, alia levia sunt, atque respirationi adeo vitæ necessariæ parum obsunt; alia graviora, periculosiora, et haud raro lethalia, inter quæ phthisis pulmonalis locum occupat excelsum. Cujus naturam et curationem principiis veris ac philosophicis nixi operam dabimus investigare.

DE DEFINITIONE.

Hujus morbi signa notabiliora sunt, tussus, dyspnœa, macies summa, serius ociusve sputo purulento et febre hectica secuta. Cullen vero eximius hanc definitionem dedit: "Corporis emaciatio et debilitas, cum tussi, "febre hectica, et plerumque expectoratione "purulenta." Febremque hecticam hoc modo definivit: "Febris quotidie rever-"tens; accessionibus meridianis et vesperti-"nis; remissione, rarius apyrexia, matutina; "plerumque sudoribus nocturnis, et urina "sedimentum furfuraceo-lateritium depo-"nente."

DE HISTORIA.

Hic plerumque aggreditur morbus, hyeme incipiente, quandoque maxime variant tempestates, signis catarrhi communis sæpe prægredientibus, cum quo apud initium sæpius conjungitur. Invadit plerumque cum tussi sæpe repetita, sicca, pertinaci, quæque per noctem ægrum vehementer vexat, cum decubitu sæpe in uno vel laterè altero difficili et molesto; cum respiratione a causa levissima facile incitata; cum sensu thoracis constrictionis, sive gravitatis; interdum cum dolore, cum languoris et lassitudinis sensu, etiamsi parum exerceantur vires. Hæc debilitas lente, sed firmiter instat, macie comitata, signo phthisis pernotabili. Accedunt etiam manuum pedumque caloris sensus mo-

lestus, cum ruboribus faciei fugacibus, et molestia febrili per corpus dominante; pulsus acceleratior; cibi fastidium; sitis quædam; alvus plerumque adstricta; interdum dyspnœa, ac pneumoniæ acutioris symptomata. Hæc signa per aliquod tempus perstant; sæpe præsertim in æstivis mensibus blandis et calidis mitescunt, sed semper frigoris accessione omni ingravescunt. Hoc modo æger ad morbi stadium secundum sensim perducitur; tussis est primo sicca deinde mucosa; et augescente morbo cum puris excreatione mista. Pus sæpe lineis sanguineis striatur; et interdum sanguis magna copia ejicitur quod majorum ulcerationi vasorum attribuendum est. Pulsus acceleratio instat ad vesperem præcipue; sensus frigoris haud parum acutus, etiamsi artus supra modum calent. Huic sensui cito accedit, rigor vexans sequentibus stadiis calidis et sudantibus; hisce accessionibus calor cutaneus temperiem naturalem gradibus duo-

bus vel tribus non excedit. * Febris hectica cum sudoribus per quietem et remissionibus matutinis jam satis superque evidens est. Hoc statu febrili ventriculi et intestinorum functiones per aliquod spatium parum deficiunt. Sitis minime urget. Appetitus non modo non prostratus, sed ad cibum aliquando solito cupidior. Lingua initio plerumque nitida, stadiis sequentibus rubra, et quasi inflammata evadit, et sæpius una cum faucibus apthis obducitur. Progrediente morbo, diarrhœa urgens, quæ per morbum totum continuat, cum sudoribus nocturnis alternans, vires jam quassata subruit ; sed interdum utraque perstant. Pus majori copia expuitur. Respiratio valde laboriosa est, doloribus thoracis comitata, qui nunc uni nunc alteri parti referendi.

Macies summa est, consumitur adeps,

* Thomson on Inflammation.

etiamque fibra musculosa, debilitas tanta ut æger in lecto sese vertere vix, aut ne vix quidem possit, pedum œdema, crurum et aliquando corporis totius. In hoc morbi stadio, menses fœminarum profluere cessant; pili defluunt, ungues lividi incurvatique fiunt, vasa tunicæ oculi adnatæ sanguinem vehentia evanescunt. Facies *Hippocratica* nunc notabilis est; per accessiones rubor malarum pulcher circumscriptusque; nunc raro capitis dolor; delirium sæpius, sed non semper, omen mortis obrepentis certum, interdum tamen sensus, et spes vitæ ejusque voluptatum vana usque ad finem remanent.

Phthisis certum ac cursum definitum haud semper tenet; sæpe enim hæmoptysi suffocante miserum extinguit, sæpe cum diarrhœa gravi paucas dies ante mortem tantum infestat. Sed de his rebus consilium nostrum fusius nos vetat disserere.

In mensibus duobus aut tribus, vel, ut in

casibus quibusdam interdum accidit, in hebdomadibus paucis, ægrum e vivis rapit morbus noster; si ad æstatem sese traxerit proximam, æstus genialis illius temporis blandi vires ægri labefactatas haud parum reficiet. Sed sæpius tantum intermittitur morbus; hiems enim ægro triste morbum renovat exacerbatque. Quidam miseri per annos duos vel tres sic vivunt. Exempla præterea non desunt, ubi phthisis, sed lenis quidem, modo plus, modo minus sese identidem, per vitam longam ostendit. Hujus mirum exemplar a nostro Gregorio in prælectionibus doctissimis narratur.

Quod ad rationem signorum, febris hectica nostram attentionem præcipue occupabit. De hac re lis adhuc sub judice est. Febrem hecticam excitari pulmonum exulceratione, atque puris absorptione ubique, alii contendunt atque hoc modo ratiocinantur. Hecticam fere incipere eò tempore, quo pus excreari cœpit; ac eam plerumque accidere cum

pus, suppuratione diuturna, in aliis partibus corporis formatum esset; quando non ita accidit, aut puris blandæ naturæ cor atque arterias parum stimulanti, aut absorptioni ejus minime effectæ ab ulceris naturâ peculiari imputare.

Contra, ut febris hectica absorptionem puris magna in copia non semper consequatur asseruerunt; quia sæpe visum est, cum cito evanuerint abscessus magni, veluti bubones, ubi necesse est ut pus resorberetur, sed nihil mali secutum est. In chirurgia suppuratio a morbo isto notato *hydrartho* sive tumore albido, hecticam veram sæpe inducit; sed, membro amputato, eaque irritatio submota est, et hectica duobus vel tribus diebus decessit licet suppuratio parti membri remanentis, quam partium morbidarum, copiosior esset. Febris hectica quoque adest, ut in Diabete, et lactatione diutius continuata, ubi abfuit pus. Invadit etiam ex pulmonum tuberculis sine inflammatione purulenta; et,

si hoc verum esset, statim concluderemus febrem hecticam inflammationis irritatione continuata, solummodo oriri; corpus effœtum et debilitatum ejus accessionibus proclivius est. De hac febre tamen commenta nostra adhuc, fatendum est, imperfecta sunt.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Phthisis in iis cute delicatiore præditis, venis largis, crinibus cineretiis, oculis cœruleis, facie et præsertim labio superiore et alis nasi tumidis, omnia quæ signa sunt bene cognita *diathesis scrofulosæ*, pene solis observatur; sæpe etiam, scrofulæ similis, hereditaria esse videtur, plurimos in familia eâdem adoriens; unde plerisque creditur esse contagiosa phthisis; sed hæc sententia nullis exemplis, in nostris regionibus saltem, confirmatur.

A pubertate ad annum trigesimum quintum maxime sævit; Cullen noster de hac re luculenter commentatus est in observationibus suis de Hæmorrhagiis; * si systema tempore isto plenum existit, aut si sanguinis circuitus præter modum incitatur, plectentur pulmones.

Ætatem supra dictam non solum aggreditur; periêrunt enim, cum phthisi impliciti, infantes atque impuberes. Thorax parum latus, aut parum capax, sanguinis circuitum liberum per pulmones impediens, proclivitatem ei dat. Fœminæ quam mares, huic morbo, ut fertur, procliviores sunt. Causa prædisponens gravis, nostra saltem sententia, humidum cœlum est frigore commixtum, ut sæpe nostris evenit.

---

* *Vide* First Lines Practice of Physic

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Pulmonum affectiones, quæ phthisin sæpissime inducunt a Cullen peritissimo sequentibus adscriptæ fuerunt; scilicet, hæmoptysi; suppurationi pulmonum pneumonia inductæ; catarrho; asthmati et tuberculis.

Hæmoptysis certe sæpius effectus, quam causa, morbi est, sed in habitu strumoso, cui vulnera omnia fere semper scrofulosa evadunt, et in omnibus corporis partibus perdifficile sanantur, pulmones exulcerentur rupturis vasorum pulmonum iteratis, et sic induci possit phthisis; sed iis corporis habitu alioquin sano præditis, hoc raro accidit.

Pulmonum ulceratio pneumoniæ superve-

niens, enumeratur utpote alia causa excitans. Hoc fere semper iis accidit, labe hereditaria affectis; et in casibus aliis, ubi pneumonia non soluta fuerit remediis idoneis, aut neglecta, si abscessûs rupturâ non ægrum statim suffocat, materies purulenta expuatur, et partes sanæ evadunt, ut aliis abscessibus, sine phthisi necessario evenit; vel pus ita existat, ut sequatur empyema.

Causa vero nulla proclivitatem ad phthisis impetus majorem præbet, quam catarrhus; hæc affectio diu perstans bronchiis pulmonum inflammationem tradere existimatur. Cullen tamen hoc repudiat, creditque morbum, qui existimatur catarrhus, esse initium quasi et primum phthisis symptoma; et, frigore applicato magis fallere aptum: quia frigus causa catarrhi frequentissima est, semper tussim excitat, et iterum iterumque repetitum phthisim ad ultimum moveat. Quia tussis violenta pulmones irritat, tubercula, si adsunt, nimis

stimulat et inflammationem phthisinque tandem intendit.

Asthma phthisis interdum sequitur, quod, uti Catarrhus, pulmones proclives tuberculis reddit, eoque efficit ut hi facilius graviusque inflammentur, et adeo morbum inducit.

Causa phthisis frequentissima et periculo plenissima Tubercula sunt. Plerique medicorum recentium tubercula a habitu corporis strumoso omnino pendere, existimantur; et non prorsus falsa videbitur sententia istorum, si rationem habeamus tum naturæ eorum, tum rerum aliarum ad ea pertinentium. Magna obtinet similitudo inter eorum structuram, atque progressum, quo in suppurationem abeant, et inter tumores scrofulosos abscessusque, qui partibus in aliis formentur. Plerumque reperiuntur tubercula in scrofulosis, ac sæpe alios morbos strumosos comitantur. Ab aliis creditur esse glandulas lymphaticas,

et certe in fabrica iis amplificatis, quæ in mesenteria sæpe inveniuntur, valde similia sunt; sed hoc aliis non placet, quia observationibus accuratis Baillie probatum est, ea scilicet tubercula semper in tela cellulosa inveniri ubi glandulæ lymphaticæ nullæ unquam perspectæ essent.

Pulmones tuberculis laborent, sine morbo ullo evidente, interdum per annos haud paucos, donec ad molem tantam augeant, vel in inflammationem excitantur, respirationi obstant; quodque, ut dictum est, fere accidit mox post pubertatem, et postquam corpus frigori et humiditati expositum esset. Ætati nulli præ aliâ propria tubercula sunt, parvulis enim sæpe sunt æque ac adultis; et eorum effectus, phthisin nimirum et mortem præ se ferunt.

Phthisis Exanthematum quorundam interdum sequela, rubeolæ præsertim habetur; in hoc casu a magna sanguinis vi versus pul-

mones, huic morbo propria, quæ tuberculis proclivitatem dat, inflammatque ea, potius quam ab acore peculiari corporis in pulmones injecto, originem ducit.

A quibusdam phthisis existimata est ab acore Syphilitico oriri, sed hoc si unquam, raro, accidit ; vel potius Hydrargyro ipso inducta est, quod remedium, ut in aliis morbis strumosis valde nocet, sic in hoc etiam fortasse tubercula quiescentia excitaverit et inflammaverit.

Quidam artifices "morbosi et degeneres homines," qui vitam tolerant locis pulvere noxio onustis, huic morbo procliviores observantur.

Interdum, ut fertur, Cynanchen malignam secuta est, ulceribus a faucibus ad pulmones usque serpentibus. Exemplis in aliis, sed raris equidem, concreta quædam calcarea e pulmonibus excreata fuere, omnibus

signis phthisis sequentibus. Quædam aliena per glottidem transierunt atque in bronchia inierunt nostrumque morbum, ut dicitur, fecerunt.

DE DIAGNOSI.

Pergratum esset, sive ad diagnosin, sive ad morbi tractationem spectamus, tempus, quo ulcera sese formarent, cognoscere. Hoc percipiendum plerumque materiam excreatam perscrutando, et observando num adsunt rigores. Multum differunt pus et mucus, et medici in omni ævo, multa signa satis notabilia dedere ad unum ab altero distinguendum. Si mucus a pure semper seperatus existebat, aut si semper in statu sano inveniebatur, aspectus solus naturam veram eorum statim detegerit; sed accidit mucum haud

parum mutari in pulmonum statu morboso, et fluidæ hæc in materia resputa fere commisceri, perdifficile erit igitur cognitu, utrum, necne, muci aspectus mutatus præsentiæ puris attribuatur. Si sputum valde opacum est; si in aqua subsidit, si fœtidum et saporis ingrati; præsertim si sanguine striatum, pus, ni fallor, adest. Sed hæc indicia, nos fallunt interdum, recurrendum est igitur ad chemiæ illustrationes, quarum accuratissimæ a Carolo Darwin memoratæ, fallaciâ non omnino carent.

Quoniam notæ *pathognomonicæ* prorsus absint, non bene dignoscitur initio præsertim inter eam et catarrhum. Catarrhus in quibusdam irritabilibus, tussi vexante, virium ac fibrarum musculosarum consumptione, et interdum cum febre hectica, comitatur; ab hoc Phthisis distinguenda est tamen signis diutius perstantibus, functionibus pulmonum magis affectis, eosque phthisi proclives adoriendo. Casibus itiusmodi stricte attenden-

dum est ad omnem catarrhi aspectum; diagnosis, accedente sputo purulento, haud difficilis est.

Cum systema languet, chlorosi præsente, tussis et dyspnœa et macies adsunt, hæc usque ad febrem hecticam cum diarrhœa urgente progredi egomet vidi. Sed chlorosis dignoscitur sputi purulenti absentia, et respiratione parum impedita, et tussi haud molesta. Huic prodest exercitatio; et facilis causa sequitur, cur tam strenue decantatur in phthisi verâ ut remedium efficacissimum. Cum quædam viscera abdominis morbosa fiunt, tussis, dyspnœa, et interdum excreatio purulenta apparent, sicuti in Hepatitide in suppurationem abeunte; in his atque casibus similibus symptomatum ratio ad morbum cognoscendum sufficiet. Multa Phthisis symptomata adsunt in morbis glandularum bronchialium, sed huic raucedo satis insignis semper accedit.

DE PROGNOSI.

Cum animo præsagiatur mœsto; accurato Sydenham enim observatum est; ut fere dimidium eorum, de morbis chronicis, insula nostra saltem, pereuntium, huic morbo succubuerunt. Hodiernis etiam temporibus, proportio eadem valet.

Medici, quamvis ægrum primo morbi gradu viderunt, non illis licet tuto prognosin faustam pronunciare; morbido aspectu perspecto, quem pulmones phthisicorum ostendunt, nemo est quin statim diceret, medicinæ, hic, molem esse pene inexsuperabiliem. Sed tamen non desistendum est, immo post ulcus formatum; enim extiterunt exempla

ægrorum, gradu Phthisis ultimo laborantium qui denuo convaluere in funeribus pene ipsis.

Ubi morbus ex labe hereditaria, ex tuberculis, aut ex thorace male conformato incipit, nihil nisi triste dicamus. Ubi pneumoniam vel hæmoptysin secuta est; vel ubi tubercula non adsunt, spes tamen restat. Quo acutiora signa, et quo exquisitior hectica, eo plus periculi est; symptomatibus lenioribus, per annos continuet sine ægro plurimum affecto. Diarrhœa urgente et perpetua superveniente, fere semper instat mors, ut Hippocrates medicinæ pater prædicere solitus est. In exemplis paucis, accedente Mania, signa phthisis confirmatæ evanuerunt; et affirmatur Maniam in quibusdam horum, decessam fuisse sine Phthisis redintegratione; phenomenon inexplicabile. Notatu dignum est quoque, graviditatem phthisis progressui obstare; et quibusdam fœminis vita protracta est, ut verisimile esse videtur, graviditatibus succedentibus. Hoc accidere videtur sanguinis

impulsu a pulmonibus averso ; ad quod interdum certius efficiendum, matri commendatum est ut parvulum suum lactet. Sed mulierum phthisicarum pleræque brevi post partum moriuntur.

DE CURATIONE.

Dicendum est primo de tractatione morbi incipientis ; deinde confirmati.

Tubercula, ut supra dictum est, causa nostri morbi frequentissima sunt, de his igitur præcipuæ tractandum est. Utrumne tubercula sint glandulæ lymphaticæ in statu morboso, certum est, largiter participare naturam tumorum scrofulosorum in aliis corporis partibus apparentium. Quidam doctus * observat, di-

* Thomson on Inflammation.

citque eos tumores in corporis superficie interdum accidere, et videri semper comitari inflammatione chronicâ, quia illi, cæteris paribus, calorem partium vicinarum gradibus duobus tribusve perpetuo exsuperant. Sequitur, rationem et tuberculorum formationem prohibendi, et progressui eorum ad suppurationem obstandi, fere eandem esse. Si systema plenum existit, attenuendum est; quoniam per id pulmones afficiuntur. Omni modo a rebus omnibus, quæ sanguinis copiam ad pulmones majorem impellunt, prorsus fugiendum, veluti frigore humiditati commixto. Hujus vitandi causa vestimenta calida imperentur; ab aëris intempestivi expositione, a loci inclementi habitatione, modo sinunt ægri vires; a rebus istis quæ sanguinis circuitum accelerant, ut a potu et cibo stimulanti et exercitatione vehemente; ab actionibus, quæ organa respirationis nimis cient, ut ab exercitatione oratorica; a cantando; a fistularum inflatione; ab inclinatione

corporis thoracem minuente quoque caute abstinendum est.

In tuberculis romovendis multa adhibentur remedia. Hydrargyrus, cum multos tumores discutiendo utilis est, contra hunc morbum sed minimo cum fructu, interdum injuria, adhibitus est. Valent emetica, ut putant quidam, dosibus repetitis; et a quibusdam existimantur, ad tubercula removenda, haud parum conferre : sed hoc non omnibus adhuc placet. In casibus aliis tamen, cum fructu maximo adhibentur, sed sive absorbentium actionem excitando, sive tantum sanguinis fluxum ad superficiem depellendo, agant, difficillimum est dictu. Quibusdam persuadetur, bonos effectus navigandi e vomitu fere insolitos mari vexante, pendere.

Si interim obrepit inflammatio gravior, discutienda est modis omnibus efficacibus. Licet tubercula scrofulosa sint, ideoque non

regimen *antiphlogisticum* tam rigide, scrofulosis non semper utile, desiderent; hic tamen, vitio organum vasis plenum et vitæ tam necessarium tentante, remedia ad *diathesin inflammatoriam* discutiendum administranda sunt; et inter alia venæsectio, non tam copiose ut in pneumonia, sed solummodo doloris et dyspnœæ relevandæ causa.

Epispastica subinde parti pectoris dolenti applicare, vel fonticulos aperire, utile est, modo dolores topici sint. Alvus facilis tenenda est, adhibendaque diluentia et medicamenta, quæ sanguinis determinationem ad superficiem promovent, atque regimen *antiphlogisticum* rigide usurpandum.

Cum vires ægri deficiunt, hæc remedia potentiora, haud raro nocent. Inter medicamina, quæ sanguinis cursum incitatum sedant ideoque symptomata urgentia sublevant locum summum, nec emerito, tenet Digitalis purpurea. Ratio eadem est cur quædam, gasa

sedantia nominata, usurpata fuerint. Gasa primo, cum aëre atmospherico diluta, et in pulmones recepta, quòndam magnum nomen præ se tulerunt in hoc morbo sublevando. Sed jam pene obsoleta facta sunt; interdum, ut fertur, levationem quandam fugacem efficerunt. Medici systema nostrum in statu *hyperoxygenato* esse credentes, iis rebus quæ acidum carbonicum continent fidem magnam imposuerunt, utpote quæ hunc statum minuerent; sed hæc praxis quoque spes fefellit, atque ex usu merito decidit. Si nostris conatibus signa inflammationis feliciter cesserunt, bene est; morbo lethali obvenitur, et nunc hæc verba Horatii feliciter applicant "venienti occurrite morbo;" quamvis spes pene desit quod ad curationem, si inducias adepti sumus; perseverare oportet, ut supra diximus, et fortasse læta operam coronaverit victoria.

Balsama quondam in magno honore habita sunt, quia tum falso creditum est, ea pul-

monum ulcera curare, modo eo, quo ferebantur vulnera externa; quorum effectus præcipuus est, ut Dr Fothergill bene notavit, ventriculum, ideoque totum systema excitare. Myrrha interdum, præsertim cum ferri aliquibus præparationibus conjuncta sæpe præscribitur; eodem consilio imperantur aliquando cortex Peruvianus, et multa alia medicamenta tonica, sed raro prosunt, immo vero sæpe nocent; nam febrem et dyspnœam intendunt. Murias Barytæ et murias Calcis jamdudum celebrata, nunc merito, ut nobis videtur, negliguntur.

Quoniam medicamenta sua natura optima, ad hunc morbum curandum parum vel nihil valent, major fides habenda victui ad ulcera curanda bene temperato. Huic rei, et defectui magno virium, et maciei ingruentibus, cibus valde nutriens commendatur, et sæpe cum jure optimo. Sed cibus hujusmodi ægris quibusdam, omnia mala signa, sicuti, dysp-

nœam et hecticam intendit. Nec mirum est, cum ad pulmones fortasse tum ita affectos animum attendamus ut sanguinem per se vix transmitti possint; atque pondus sanguinis totius, necesse est ut per partes adhuc sanas transjiciatur. Mali effectus igitur, in aperto erint, si vel sanguinis copiam augeamus, vel vim circuitus ejus incitamus; nam hecticam et dyspnœam intendimus, et ab hoc stimulo irritante, eminebunt nova tubercula, et alia, quæ adfuissent, inflammationem graviorem acccipient, et tandem in suppurationem gravem desinent.

His de causis, igitur, cibus satis nutriens et parum stimulans fere optimus semper adhibendus. Pro victu saluberrimo hujusmodi lac cum farinaceis quibusdam semper adhibitum est. Si ventriculum gravat, lac cum aqua diluendum est, et aliquid sacchari adjiciendum. Lichen Islandicus, quoniam plurima materia mucilaginosa gaudet pro victu recte usurpari potest.

Febri hecticæ vix medicinæ locus est, dum pulmones suppuratione laborant. Ad eam imminuendam tamen Digitalis purpurea multum valebit; pulsus frequentiam minuens; et sanguinis impetum temporans, ideoque febrem hecticam levans. Affusio frigida in febribus aliis ad actiones systematis inordinatas sublevandum adeo utilissima, hic non admittenda est, quia pulmones existunt morbosi. Balneum tepidum interdum profuit stadio calido ingruente, quod una cum stadio sudante interdum ab eo remotum est. Fere semper maxime juvat ad discutiendum istum sensum urentem aqua frigida ad manus et pedes admota.

Dum continuant sudores nocturni plurima acidorum præscripta fuerunt. Ex acidis sulphuricum plurimum pollet vim sudoris compescendo. Acida vegetabilia sæpius sumuntur propter saporem gratum, quem possident. Quidam fructus quoque præ aliis sumuntur, ut citrus, qui per effectos salu-

tares, ut fertur, morbum discussit. Aqua calcis sæpe subsidium est haud spernendum. Cavendum est, denique, ne super ægrum imponantur nimia stragula.

Contra tussim, mucilaginosa et oleosa valent, sed priora anteponenda sunt, quia ventriculum non prægravant. Vapor aquæ calidæ in os receptus fere semper utilis. Sed omnium efficacissimum est opium, haustus anodynus vespere exhibeatur; et trochisci ex opio, vel mistura mucilaginosa cum opii tinctura conjuncta, per diem administrentur.

Dyspnœam ad discutiendum pulmonibus obstructis inductam, nullum prodest medicamen. Sed, cum inflammatio interdum pneumoniam assimilans superveniat venæsectio ægrum relevat, etiamsi deprimantur vires. Quibusdam emetica ad pus et mucum e bronchiis refertis ejiciendum salutifera evasere.

Æger semper aëre puro frui debet. Conclave debet esse bene ventilatum, dum ratio adhibenda est ne nimis calidum aut frigidum existat. Auctor illustris * dicit "Cœlum denique temperatum, serenum, modice calidum, "et præ omnibus æquale, saltem non subitis "tempestatis mutationibus obnoxium, in omnibus fere morbis saluberrimum est, et in "nonnullis, in quibus remedia parum valent, "veluti in phthisi, præstantissimum remedium."

DiarrhϾ quando supervenerit, ab omnibus modis obsistendum est. In hunc finem bene respondebit opium, vel solum, vel cum aliis astringentibus conjunctum, sicuti electuarium mimosæ catechu huic opium iterum adjectum vires profluvii compescebit cum stadio sudante nunc fortasse alternantis. In hac conditione ægri ex usu minime parvo est

* Vide Dris Gregorii, Conspec. Med. Theoret.

tincturam saponis cum opio in abdomen mane et vespere ad cochleare parvum usque bene perfricare. Hoc alia remedia astringentia interne vix necessaria esse reddit. Potio ex carbonate calcis quoque commodi non expers.

Hæc remedia varia suis muneribus fideliter plerumque funguntur. Sed interim vires ægri labefactant; morsque locum cedens nulli medicinæ instat.

FINIS.